



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

34.
ritus, Aqua, & Sanguis; & hi tres
unum sunt, unitate ejusdem testimo-
nii. Unum inquam per relationem ad
eandem humanitatem, ab eodem Ver-
bo assumptam; Quam veram, non
apparentem & fictam, fuisse testantur
uno & infallibili testimonio, Spiritus
quem in cruce voce magnâ exclamans
tradidit in manus Patris: Item Aqua
& Sanguis, quæ simul ex ejus latere
post mortem aperto exierunt, ad
emundationem omnium delictorum
mundi: undè ipsi infideles à quibus
crucifixus est, talibus signis visis in
morte ejus, dixerunt verè Filius Dei
erat iste: & revertebantur percutien-
tes pectora sua ex contritione cordis.
Sic enim traditus est propter peccata
nostra omnium Salvator, per Sangui-
nem suum, mundi totius pretium, &
vivificator per mortem suam, per quam
omnibus vitam æternam promeruit.

§. II.

Sed & multis ante Incarnationem,
sæculis, omnes Prophetæ Christo
JESU ut Verbo Dei incarnando, te-

stimonium reddiderunt. In primis Pro-
 pheta regius eum alloquens, ut Do-
 minum suum *Psal* 109. ait: Dixit Do-
 minus Domino meo, sede à dextris
 meis. Donec ponam inimicos tuos,
 scabellum pedum tuorum. Unde ar-
 guit Christus Pharisæorum ignoran-
 tiam & malitiam, qui licet opera ejus
 probarent, eum verè Filium Dei
 esse, & Messiam à Deo promissum,
 nolebant credere in illum. Si ergo Da-
 vid, vocat eum Dominum, quomo-
 do Christus Filius ejus est: Ad tam
 evidens testimonium, nemo poterat
 responderè ei verbum. Isaias vero te-
 stimonium Divinitati & Humanitati
 Christi reddens, vaticinatur, c. 7. Audi-
 te domus David, dabit Dominus ipse
 vobis signum: Ecce Virgo concipiet
 & pariet vobis filium & vocabitur no-
 men ejus Emmanuel. Et iterum, c. 8.
 ô Emmanuel, quod interpretatur no-
 biscum Deus. Capite verò 9. Nomina
 alia ejus recensens, ait: Parvulus na-
 tus est nobis, & filius datus est nobis;
 & factus est principatus ejus super hu-
 merum ejus, & vocabitur nomen ejus
 Admirabilis, Consiliarius, Deus, For-

tis, Pater futuri sæculi ; Princeps pacis. Rursus regius Vates unigenitum Dei Filium contemplans in carne nostra, ad illum verba Patris dirigit. *Psal.* 44. Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ Participibus tuis. Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt tu autem permanebis. Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. *Psal.* 2. Cui autem Angelorum dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ad quem Angelorum dixit: Sede a dextris meis? *Heb.* 1. Intonuit de Christo Micheas, c. 5. Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus Æternitatis.

Insonat Aggæus c. 2. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo

Coelum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis Gentibus. Consonat Malachias *c. 2.* Statim veniet ad Templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum. Succinit Zacharias *c. 3.* Adducam servum meum orientem. Et *c. 9.* Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. Rursum Jeremias clamat *c. 31.* Creavit Dominus novum super terram, Fœmina circumdabit virum. At ubi venit plenitudo temporis, inquit, Apostolus *Gal. 4.* Misit Deus Filium suum, factum ex muliere; factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret: ut adoptionem Filiorum reciperemus. Quoniam autem estis Filii; misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.